



## CAPUT V.

De Juribus Ecclesiæ Parochialis ad exequias & oblationes dum alibi sepultura est electa.

1. Ecclesiæ Parochialis competunt de jure sepultura & exequia.
2. Nonnullis aliis locis religiosis libera sepultura, sive jus sepeliendi concessum est.
3. Sed ultra privilegii tenorem non extendendum.
4. Jus sepultura, & jus celebrandi exequias sunt distincta nec in illo concessio sequitur & hoc concessum esse.
5. Consequenter alicui loco religioso concessa libera sepultura, non censetur propterea concessum jus exequiarum.
6. Pontifices indulgentes alicui loco religioso liberam sepulturam reservant Ecclesiæ Parochialis reliqua sua jura.
7. Clausula reservatoria jurius Ecclesiæ Parochialis occurrit in Bulla confirmatoria Ordinis S. Dominici.
8. Eadem clausula exprimi solita in omnibus Bullis quibus libera sepultura amittitur.
9. Per liberam sepulturam intelligitur jus sepeliendi liberè cadavera eorum qui in loco illo sepeliri elegerunt.
10. Corpora dum in locis hujusmodi inhumantur, dicuntur ab Ecclesiæ Parochiali assumi.
11. Salva justitia Ecclesiarum Parochialium idem est, quod salvo jure illarum Ecclesiarum.
12. Vigore clausula salva justitia Ecclesiarum Parochialium, manet eis salvum jus celebrandi exequias.
13. Manet quoque Ecclesiæ Parochiali jus ut cadaver prius ad eam deferatur, & eo presente Missa celebretur.
14. Nulla consuetudo requiritur, ut hoc jus salvum sit Ecclesiæ Parochiali.
15. Hoc jure utuntur Ecclesiæ Parochiales in Gallia.
16. Hoc jus Ecclesiis Parochialibus per arresta Regia sapienter assertum.
17. Illud jus Ecclesiis Parochialibus vindicat Cardinalis Cameracensis Episcopus Gratianopolitanus.
18. In pluribus Ecclesiis Belgicis idem jus salvum manet, & Parochis civitatis ipsensis adjudicatum.
19. Per Senatum Regium assertum Parocho civitatis Hallensis.
20. Similiter Parocho civitatis Athenensis.
21. Corpus Sepultura rectè deferri debet ad locum sepultura.
22. Jus exequiarum Parocho civitatis Mechliniensis asseruit Parliamentum.
23. Exequia persolvenda in Parochia quales esse debeant?
24. Equum est, ut Ecclesiæ Matrix seu Parochialis participet in oblationibus factis Ecclesiæ electæ sepultura.
25. Leo III. tertiam partem dari voluit.
26. Alius Pontifex medietatem.
27. Tandem quarta exemplo quarta legitima, aut Falcidia assignata.
28. In statuenda hac portione inspicendam esse legitimam consuetudinem respondit Urbanus III.
29. Portio hac semper dicitur quarta licet aliquando sit major vel minor.
30. Concilium Viennense quartam funerariam determinavit.
31. Voluit dari ex omnibus quæ à defuncto relinquuntur Fratribus apud quos est electa sepultura.
32. Etiam ex candelis quas manibus preferunt.

33. In quartam funerariam non sunt imputanda oblationes factæ Ecclesiæ Parochiali.
34. Decretum Synodi Tridentina quoad hanc quartam funerariam.
35. Summa fuit Prælatorum curæ pro conservanda hac quarta Ecclesiæ Parochiali.
36. Hac quarta consuetudine regitur.
37. Quid in Gallia & Belgio consuetudo habeat?
38. In dubio salvum manet jus Ecclesiæ Parochialis.
39. Concordata in hac materia sunt attendenda.
40. Quid circa hac observandum?

I. Superiori capite ostensum est, Ecclesiæ Parochialem seu ejus cæmeterium esse locum sepulturae sive inhumationis, atque de jure unumquemque esse sepeliendum in Ecclesiæ Parochiali, nisi ostendatur ex speciali titulo derogatum esse huic juri.

Uterius ostensum est, Ecclesiæ Parochiali de jure competere, ut in ea exequiæ aliaque jura defuncto persolvantur, & Parochum esse ordinaria exequiarum aliorumque officiorum defunctis impendendorum ministrum; eique jus esse, ea defunctis suis Parochianis administrandi, non secus ac Sacramenta aliaque salutis media vita durante.

II. Porro licet de jure soli Ecclesiæ Parochiali id competat, nullusque alius locus, inspecto jure communi, inhumationi Fidelium defunctorum datus sit; nihilominus successu temporis, jus sepulturae, sive inhumationis aliis passim locis religiosis ex privilegio communicatum esse constat; ipsique insuper Fidelibus factam libertatem, sepulturam eligendi in quocumque loco religioso jus sepulturae habent.

III. Sed cum hæc inhumandi facultas aliis Ecclesiis sive locis religiosis competat jure speciali seu privilegio, consequens est, eam ultra tenorem privilegii contra Ecclesiæ Parochialem ejusque jura extendi non posse.

IV. Uterius notandum est, quod inter se disparata omnino sint, defunctorum sepultura sive inhumatio, & exequiæ sive officium Ecclesiasticum pro defuncto exsolvendum.

Hinc sequitur, uno indulto nequaquam alterum ceteri concessum; indubitatumque est, posse aliquem in aliquo loco religioso sepeliri, tamen in eodem nullæ exequiæ, nullumque officium defuncto persolvantur: quod quotidiana praxi notorius est, quàm ut probari debeat.

V. Dum ergo alicui Ecclesiæ sive loco religioso indulta est sepultura, vel licentia dandi sepulturam iis qui in illis inhumari elegerint, nequaquam propterea ipsi datum censetur jus ut ibidem, in præjudicium Ecclesiæ Parochialis celebrentur exequiæ, aliaque officia Ecclesiastica pro defunctis persolvantur.

Cum enim jus cadavera inhumandi in aliquo loco, sit planè distinctum à jure celebrandi exequias pro defuncto; & utrumque illud jus spectet de jure communi ad Ecclesiæ parochialem, indubitatum est, quod uno eorum alteri loco vigore privilegii communicato, nequaquam alterum ceteri debeat indultum in præjudicium Ecclesiæ Parochialis: quia à jure communi non censetur recessum, nisi in quantum ipse tenor privilegii exprimit, & exigit: imò dum ipsa verba privilegii sunt dubia, juxta indubitatas juris regulas interpretanda sunt, ut quàm minimum à jure communi recedatur.

VI. Jure ergo inhumationis communicato alicui Ecclesiæ seu religioso loco, salva nihilominus remanent Ecclesiæ Parochiali reliqua jura. Quod & ipsi Romani Pontifices significare intendunt, privilegii illis, quibus jus sepulturae concedunt, inserendo clausulam, *salva justitia*

*justitia* Ecclesiarum à quibus corpora assumuntur: Cujus clausula mentio fit in Cap. 9. de Sepult.

VII. Et in Bulla Honorii III. quæ incipit: *Religiosam*, Ordinis Patrum Prædicatorum confirmatoria conceditur ipsorum Ecclesiæ jus sepulturae seu inhumationis, sed cum dicta clausula reservativa. Verba Bullæ §. 10. sunt: "Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni & extremæ voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint (nisi forte excommunicati vel interdicti sint) nullus obstat: *salvata tamen justitia illarum Ecclesiarum à quibus mortuorum corpora assumuntur.*"

VIII. Hæc eadem clausula exprimitur in Bulla Sixti IV. quæ vocatur *Mare magnum* qua varia privilegia indulget Ordini B. M. V. De Monte Carmelo, atque inter alia liberam sepulturam in suis Ecclesiis; idque, ut ait, ad exemplum Prædecessorum, à quibus Ordinum Mendicantium Professoribus concessum fuit, ut in suis Ecclesiis, vel cæmeteriis liberam possint habere sepulturam: *salva tamen justitia Ecclesiarum Parochialium, à quibus corpora defunctorum assumuntur.*

Hæc Bulla Sixtina insuper probat, Pontifices in suis privilegiis, liberam sepulturam Ordinibus Mendicantium Professoribus cum prædicta clausula dedisse; idque conformiter ad responsum Clem. III. in citato C. 9. de Sepult. Nec credo, ullam authenticam Bullam Pontificiam super concessione liberæ sepulturae profertur posse, quæ hac clausula careat.

IX. Ex relatis quoque Bullis habetur, quod libera sepultura non aliud oneret, nisi libertatem sepeliendi sive inhumandi corpora illorum qui ibidem sepeliri desideraverint, vel elegerint; nullusque sepulturae obistere queat.

X. Per Ecclesias à quibus corpora assumuntur, intelligi in hac clausula Ecclesias Parochiales evidens est, exprimitque ipsa Bulla Sixtina jam citata traduntque omnes passim Canonistæ. Cum enim Ecclesiæ de jure habeat fundatam intentionem ad sepulturam suorum Parochianorum, censetur corpora alibi sepeliendi ab ipsa assumi eo quod jure communi jam essent ipsi Ecclesiæ Parochiali addicta.

XI. Per *justitiam Ecclesiarum* hic significati jura Ecclesiarum non minus notorium est; eo quod ex *justitia* eis competant; in qua significatione in antiquis etiam monumentis vox *justitia* sive *justitia* sæpius occurrit, ut ostendit Du Cange in suo Glossario, verbo *justitia*. Dicimus quoque *justitia* persolvere defuncto, dum ipsi persolvimus quæ jure ei debentur. Unde clausula, *salva justitia* synonyma est huic, *salvo jure*. Quare in Bulla Sixti III. quæ ad supplicationem Ducis B. Babantiæ probatur erectio Conventus Dominicanorum in civitate Bruxellensi, conceditur ut in eo commorantes Fratres fruantur omnibus & singulis jurius & privilegiis, quibus alii ejusdem Ordinis Conventus gaudent: prædicta clausula his verbis exprimitur: *JURE tamen Parochialis Ecclesiæ. & cuiuslibet alterius semper salvo.*

XII. Cum ergo inter jura Ecclesiæ Parochialis sint exequiæ aliaque officia funerals pro defuncto persolvenda, eaque à sepultura sive inhumatione planè distincta; consequens est per concessam liberam sepulturam, sive facultatem sepeliendi mortuorum cadavera, hæc non ceteri adempta; quin & per adjectam prædictam clausulam cum aliis jurius ipsi Ecclesiæ Parochiali conservata.

XIII. Quia verò, uti supra cap. 1. dictum est, convenit, ut Missa funeralis celebretur præsentem corpore, etiam de jure competit Ecclesiæ Parochiali, ut corpus sibi præsentetur, atque eo præsentem Missa celebretur; quod non obstat liberæ electioni sepulturae, jam pridem notavit Glossographus ad Clementinam DUDUM De Sepulturis, verbo *integre* ex Joanne De Imola: imprimis

Van Espen Jur. Eccl. P. II.

ubi est consuetudo primùm portandi corpus defuncti ad Ecclesiæ Parochialem priusquam sepeliatur in loco electæ sepulturae, hæc consuetudo servanda est. Deinde ex eodem addit, "quod ubi non est consuetudo, etiam esse cadaver deferendum, ut sic haberet Missam in propria Ecclesiæ, & sic recipiat ibi ultimum vale à suo Curato. Nec istud (ait) electi curati sepulturae repugnat, sed concordat."

XIV. Supponit igitur Glossographus post Joannem De Imola, jura illa manere salva Ecclesiæ Parochiali; neque consuetudine opus esse ut jura hæc Ecclesiæ vindicentur, sed citra consuetudinem, aut specialem titulum ipso jure competere.

XV. Jure hoc etiam uti passim Ecclesiæ Gallicæ innuit Matthæus Beuvelet in quodam libello gallico cui titulus: *Instruction sur le Mannel par forme de demandes & réponses familières; où se voyent recueillies les choses les plus remarquables qui se trouvent dans la plupart des Mannels, qui sont en usage dans l'Eglise.*

Hic igitur volens ostendere quid circa sepulturam eorum qui extra Ecclesiæ Parochialem eam elegerunt, sit servandum ex præscripto majoris partis Ritualium seu Manualium quibus utitur Ecclesiæ, notat quod Clerus Parochiæ sub qua sepeliendus discessit, lever corpus eoque ad eandem Ecclesiæ Parochialem delato; post ibidem celebratam Missam pro defuncto; Curatus comitante Clero suo, illud præsentat Superiori loci in quo sepeliri desideravit. Verba ejus sunt pag. 379 edit. 1681.

Quand un paroissien desire d'estre enterre en un autre lieu, que sa paroisse; & Respondet: Le Clerge sur la Paroisse, da quel il est decede, va lever le corps, & l'ayant conduit dans la mesme Paroisse, après y avoir dit LA MESSE pour le Defunt; le Cure accompagne de son Clerge, le va presenter au Supérieur du lieu, où il avoit demande d'estre inhumé. Id est. Cum Curialis inhumari desiderat extra Parochiam? Clerus Parochiæ in qua decesserit tollit cadaver, eoque ad eandem Parochiam delato, & Missa pro Defuncto peracta, Parochus Clero comitante exhibet corpus Superiori ejus loci in quo sepeliri postulat.

De generali usu Ecclesiarum Gallicæ testatur quoque Claudius Henrys lib. 1. c. 3. §. 10. suorum arrestorum; ubi relatis opinionibus, & verbis Glossæ supra expressis adjungit: *C'EST CE QUI SE PRATIQUE AUSSI PAR TOUT: Et il est bien juste qu'un enfant rende ce dernier de voir à la Mere, & qu'il reconnoisse en quittant le monde de celle qui l'a nourri de son lait pendant sa vie.* Id est. Idque ubique observatur *justa* sequum est ut filius hoc Matri supremum officium referat, agnoscatque mundo demigrans illam quæ eum vivum lacte suo pavit.

XVI. Plura arresta huic conformia refert Carolus Fevretius in tractatu *De Abusu* lib. 4. cap. 8. n. 5. & 6. & recentius refertur in opere cui titulus. *Journal des Audiences* parte 3. lib. 3. c. 1. prolatum in Parlamento Parisiensi 25. Januarii 1669. in causa Patrum Augustinianorum contra quosdam Parochos, quo declaratum fuit, Augustinianis jus esse sepeliendi corpora eorum qui apud ipsos elegerint sepulturam; quæ tamen corpora levabuntur à Curatis aut Vicariis Ecclesiarum, in quibus decesserunt, & portata in Ecclesiæ Parochialem, postmodum reducentur ad Ecclesiæ Augustinianorum, ut ibidem inhumantur. Verba arresti sunt: *La cour faisant Droit sur le tous... emendant a maintenir & garder les dits Augustins au droit & possession d'enterrer en leur Eglise le corps defunt, quand il y aura election de sepulture... les quels corps des Defunts seront levez par les Curez, ou Vicaires des dites Paroisses ou ils seront decedez. Et portez en l'Eglise Parochiale. & conduit en suite en l'Eglise des dits Augustins pour y estre par eux recens & enterrez.* Id est. Curia super omnibus jus dicens... dictis Augustinianis possessionem asseruit ac tutam præstitit; ut in Ecclesiis suis cadaver sepeliant, cum electus fuerit locus sepultu-

H h h h 3

ra . .